Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1905
Quelle:
Copyright:

rum a Diabolo et Deo missorum jam *Vol.* I. indicatus. Incipit: *Misit Rex Saul septem apparitores ut raperent Dauid. 1. Reg.* 19. &c. 6) *Sermo de nouem peccatis alienis* in illud: *Ab occultis meis munda me domine, et ab alienis parce seruo tuo. Ps.* 18. Incipit: *Ista verba sunt prophete Dauid in quibus duo petit* &c. Valde popularis est, et inter alios monet illos, *qui a meretricibus, uel lusoribus, uel subtractoribus seu* Phothsneydern *censum recipiunt.* Sartores indusiorum lineorum intelligi puto a antiquato sed Rusticis vel hodie familiari *Pfaid*, goth. *Paida*, island. *Paita*, lacinias subfurantes, qui etiam dum Plebi nostrae *Pfaidler* dicuntur; unde Sermonem hunc *Germanis* habitum intelligas. 7) Homiletica varia, Loca *Bernhardi*, Themata Dictionum.

II. *fol.* 81. *Incipit*, ut in calce habetur, *Officium contra grandines et tempestates. Sacerdos primo celebret missam de beata virgine, Officio vero completo Sacerdos accipiat corpus christi cum nola sonante et cum sacris indumentis et deferat secum circa fruges legensque quatuor Inicia que secuntur. ad quatuor plagas scilicet meridianum occidentem aquilonem et orientem et primo legat sanctum euangelium ut supra.* Evangeliis singulis subjunguntur Exorcismi et Orationes, et in fine adduntur *Benedictiones Agni paschalis, Carnium, Lardi, Casei*, et *Panis.*

III. *fol.* 87. *Incipit summa Raymundi Prosayca.* Nota est *Raymundi de Pennafort* O. P. a. 1256. defuncti *Summa* IV. Libris constans, glossis illustrata ab ejus Sodali *Guilelmo Rhedonensi*, ut pluribus exequitur *Quetifus* T. I. p. 109. Hanc quidam, quem *Adamum* vocat *Fabricius Bibl. med. Lat.* L. XV. p. 225. in *Compendium* metricum redegit, quod mihi objacet impressum *Colon.* 1495. 4. et incipiens:

Summula de summa raymundi prodijt ista.

Et quanquam Redactor hic dicat:

Inter doctores hunc nolumus ire libellum,
Paruis et rudibus quem duximus esse legendum;

contrarium tamen sentit praesens Pedester noster, qui vult, ita enim orditur, *Vt ponatur ad verba prosayca propter hoc, vt in vna lectione simpliciter quilibet aliqualiter loqui sciens latinum ipsam intelligat absque omni glosa et difficili supplecione necessariorum verborum dimissorum in versibus.* Atque adducto exemplo Bibliorum, Patrum, ICtorum et Medicorum, qui omnes soluta oratione usi sunt, ridicule in Poetas invehitur tanquam solos, *qui secundum philosophum primo Metaph. Multa menciuntur adorantes ydola et scribentes*